



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesu Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitutum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Lutherani Germanici n. 50

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

haberent, atque fidem in prædicanda Europæ magnificen-  
tia, aliter enim ægrè persuadendi Iaponij, &c. Hæc Cassiodo-  
rus. Qui cum plures de eisdem Iesuitis columnias spargeret, quas hæ-  
reticale suppeditabat odium, non potuit eorum apud Iaponie in-  
colas opinionem summam reticere, dum dicit: Quantum ad fidem  
accessit, obtinent Magistratum non in Ecclesiasticos tantum,  
sed etiam in politicos: persuadent enim Iapones sibi quæ vo-  
lunt, vnde pro Dijs fermè coluntur, tantamque apud Iapo-  
nes habent auctoritatem, ut parum absit, quin adorentur pro  
sanctis. Haec tenus de Iesuitis homo Hæreticus.

50. A LVTHERANIS: Fulde in Germania anno Christi 1585.  
fuit Sacerdos magni nominis Concionator, ad quem tota fermè Ciuitas  
confluebat; quod & spem faceret Communionis Dominicæ sub vtra-  
que specie restituende (eam enim sub initium Collegij nostris sustule-  
rat Teuthonici Ordinis Magister, & Abbas probitate præstans fun-  
dator noster) & familiam nostram insectaretur; ut tantum non ad  
heresim vergere eius mens, & Oratio videretur. Hic dum de Sacri-  
legis nuptijs, magnorum virorum patrocinio nixus, non minus libere,  
quam impudenter agit, repente & quisissimo Dei iudicio, mortifero cor-  
reptus est morbo. Nostris ut suas iniurias benefactis remunerarentur,  
& agro corpori, animoque succurrentum putarunt; bortantur ut se ipse  
respiciat, & meditatum facinus detestetur: Quod ille & fecit, & qui  
tandem sinceri amici numerarentur, agnouit. Agenti quoque animam  
præsto fuerunt, funus curarunt, oratione funebri mortuum, ut solet,  
ornarunt, ut admirari se vehementer dicerent Lutherani, Quod Ie-  
suitæ & viuis nossent inimicis benefacere, & vita extinctis. Ita  
apud P. Anton. Dauroulium in Flor. exemplor. sine in Catechismo  
suo Historiali cap.7. Tract. 92.n.8.

51. A MORAVIÆ PRÆSIDE: Cui, cum lege municipalē  
preciperetur, belli tempore, omnes etiam Dynastas, & ipsum Olomu-  
sensem Episcopum ad Provinciae fines hostili excursione prohibendos  
proficiisci, placuit tamen homini licet Hæretico, hoc onere P. Rectorem  
Brunensem liberare. Adiecit etiam verborum honorem: Non esse  
apud Iesuitas cessationi locum; (de Scholis loquebatur ille) ne-

M m m 2 que

Socij apud  
Iapones pro  
Dijs fermè  
coluntur.

Ac pro  
Sanctis  
adorantur,

Eorum  
charitas  
erga ad-  
uersarios  
Lutheranis  
admiratio-